



255  
Ca

Biennes contenues dans ce volume

Lex Romana Dadini altasseroë

Vita claudii et francisci primorum  
Guisia ducum

Antiquité et priviléges de la sainte  
chapelle de Paris

the first time. But it is  
not so simple as it looks.  
It is not so simple as it looks.

*Ex dono flutus* G<sup>e</sup> franc<sup>o</sup>

L E X 1083,

la D 594

# ROMANA,

ANTONII DADINI  
ALTESERRÆ.



T O L O S Æ ,

Apud ARNALDV M COLOMERIV M,

Regis, & Academiæ Tolosanæ

Typographum. M. D C. X L I .

J

801 X. I.

ROMANA

ANTONI D'ADINI  
ALTEERRA



TOLOSA  
BY ANTONI COROMINES  
PRINTED IN TOLOSA  
1860



# LECTORI.

**L**EGERE ROMANAM offero, Aquitaniæ & Narbonensis Prouinciaæ Magistrum, spectatæ in Francos fidei præmium, & suavis illorum Imperij argumentum. Non iniuria diuisis votis gaudent Prouinciales Franco- rum obsequio, & Romanæ Legis regimine: Roma augustinor lege, quam Imperio iamdiu amissum luget imperium, legémque suam adhuc superstitem miratur in hac parte Gallicarum. Fortè irascantur Franci nostris relictum alienæ legis commercium; sed irasci desinant: lex illa est nimirum, quæ Maiestati Principum addictissima, subditorum mores componit ad fidem, & parendi ingenium.

publicos hostes habet contumaces in Prin-  
cipem, omniāque armat in eorum debitam  
pœnam. Hâc lege instituti Prouinciales, an-  
tiqui, & constantis in Reges studij, & ve-  
nerationis laude se commendârunt. Hâc lege  
Ecclesiam & Regnum pari religione colue-  
runt. Gratulatur L V D O V I C I I V S T I  
victorijs Lex Romana, per eas à Gothorum  
prole secura, horrescit infandum Gothorum  
nomen, memor periculi à veteri hoste su-  
biti : hæret gratissima recordatio, Clodouæi  
munere diuisi penè cum ipsa Galliarum im-  
perijs, meminit se matrem omnium legum di-  
uinâ Caroli voce pronuntiatam, & per lon-  
gas ætates quasi Regum vernaculam in  
pulcherrima Galliarum parte ( & Romanis  
ipsis Italâ verius quam Prouinciâ ) excul-  
tam. Nunc tot beneficia qui penset perenni-  
bus scilicet Prouincialium votis L V D O V I C I  
salutem fulcit, adreas plausu prosequitur,  
& sui quondam numinis solium, Romanum  
ei optat Imperium.



# LEX ROMANA.

## CAPVT I.

<sup>1</sup> Prouincijs legem suam dat pop.  
Rom. <sup>2</sup> Academia veteres  
Iuris Rom. Berytus ,  
& Roma.

**V**ICTORES gentium  
Romani, victis ac  
in prouinciam re-  
daetis, non solùm  
vestigalia, sed etiā  
Iura, legésque suas, & magistratus

A

imposuerunt. Ex quo Ius Romanum latè cum Imperio propagatum per totum orbem Romanum; adeò ut prouincialibus familiare esset eius studium colere, quasi in seruitutis solatiū. Gregor. Thaumaturg. E. Neocæsar. magnum id viaticum esse prædicat, μήτισον ἐφόδειον την μάθησιν τῆς νόμου. & Gregor.

In Panegyr. ad Origen. Orat. 21. Nazianz. Romanorum legem nemini ignorare fas esse. πουαίων μὴ νόμων οὐδεὶς αὐτοῖς δέχεται. Hoc studium primam in Oriente excitauit scholām legum apud Berytūm,

In eod. Pa. negyr. Socrat. 1. 4. C. 22. Gregor. Neocæsar. qui legibus Romanis operam se ibi dedisse de se testis est, ή τῇ Βηρυτίῳ πόλει, inquit, πουακοτέρῃ πόλει τῇ τόμων τέτων τῇ πισευδεῖ τα παρδευτήρεον. Berytus iuris Italici harum legum schola. Agathias de Beryti excidio ob terræ motum, interitūque ciuium, & legum studiosorum, οἱ δὲ παρῆσαν τὰς

I. 2. hist.  
Eunap. in Julian.

ρωμαίων ἀυτῷ ἀγαλεῖσθαι τόμες, τῷ  
δὲ πάτριον τῇ πόλει Εἰςπέργερας τι μέ-  
ντον τοίαδε ἀυτῇ ἀρεῖται σιδησκαλεία :  
*Qui ibi erant legum Romanarum addis-  
cendarum caussâ, erat enim hoc patrium  
vrbi, & veluti maximum præmium,  
quòd ibi scholæ dicatae essent. Vnde &  
Iustinianus Berytum, Matrem &  
nutricem legum appellat. In Oc-  
cidente etiam prouinciales, in pri-  
mis Galli nostri, Romam sedem  
Imperij, & legum parentem au-  
diissimè Iuris Ciuilis studio fre-  
quentarunt : de Germano Altis.  
fiodorensi testis est Erricus Altis.  
fiodor.*

I. i. devit.  
S. German.

*Incitus his animis, talique cupidine  
raptus,*


*Quà caput est orbis terrarum ma-  
xima Roma*

*Tēdit iter, Latij nodos addiscere Iuris,  
Et didicit, palmāmque breui tulit  
ille laboris.*

Itiner. I. i. De Palladio Rutilius Numatianº.

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab  
aruis

Missus Romani discere iura fori.



## C A P V T   I I .

Origo & processus legis Romana  
in Gallia, & Aquitania,  
sub Romanis.



ALLIA nimirum Cæsar is armis prostrata, &  
in prouinciam redacta,  
Romanorum leges, &  
Magistratus, suis multata, acce-  
pit; cuius rei argumenta hęc pro-  
fero. Primum occurrit ex libris  
nostris, in quibus Legatis, id est  
Præsidibus prouinciarum Galliæ,  
in dubijs de Iure consulentibus,  
Imperatores rescripsisse inuenio;


vt Adrianum consulenti Saluio,  
 (is est Saluius Julianus I. C. au-  
 thor edicti perpetui, vt ostendam  
 suo loco ) Legato Aquitaniæ, nec-  
 non & Vitratio Pollionis, Legato  
 Lugdunensi, & Scœuolam de fidei-  
 cōmisso à libertis testatoris Reip.  
 Arelatensium relicto, ex Gallia  
 consultum respondisse. Secundum  
 repete ex eo, quod Galli adoles-  
 centes Romam studiosè propera-  
 bant Iuris Ciuilis ediscendi gra-  
 tiâ, vt probatum est ex Rutilio, &  
 Errico Altissiodorensi. Tertium  
 præstat solenne illud vetus, vt no-  
 uæ Constitutiones Principum  
 promulgarentur apud Galliarum  
 tribunalia, & actis forensibus in-  
 sinuarentur. Sidon. ad Namma-  
 tium : Per ipsum tempus vt decemui-  
 raliter loquar, lex de præscriptione tri-  
 cennij fuerat proquiritata, cuius perem-  
 ptorijs abolita rubricis, lis omnis in

l. milites,  
 ff. de Cust.  
 reor.

l. spadonē.  
 S. Impera-  
 tor. ff. de  
 excus. tut.

l. codicil-  
 lis, ff. de  
 vñfr. le-

sextum tracta quinquennium terminabatur; hanc intrà Gallias antè nescitam primus, quem loquimur, Orator indidit prosecutionibus, edidit tribunalibus, prodidit partibus, addidit titulis, frequente conuentu, raro sedente, paucis sententijs, multis laudibus.



### CAPVT III.

*Lex Romana defensa aduersum  
Gothos.*



VENTE Imperio, Gothis incubantibus Aquitaniæ, & Narbonensi prouinciæ, Ius Romanum, & alia Imperij decora præ inuidia euertere nitentibus, Aquitani, & Prouinciales, spretis Gothicis legibus, Theodosianas, id est, Romanas fortiter tuiti sūt:

graues hanc ob rem querelæ exci-  
 tatem in Seronatum Prefectum Gal-  
 liarum, qui Gothos fouebat in ne-  
 cem legis Romanæ. Sidon. ad Ec-  
 dicium; *Exultans Gothis, insultans*  
 que Romanis, illudens præfectis, col-  
 ludénsque numerarijs, leges Theo-  
 dosianas calcans, Theodoricianasque  
 proponens. Vnde & prouinciales  
 abhinc Romani dici gaudebant.  
 Saluian. *Iam apud Gothos impudici*  
 non sunt, nisi Romani. Tandem  
 Alaricus vltimus Rex Gothorum  
 in Gallia, sentiens Aquitanos, &  
 Prouinciales legum Romanarum  
 genio nimium deuotos, in Gothi-  
 cas vix vmquam consensuros, Co-  
 dicis Theodosiani breuiarium, ex  
 quo inter eos ius diceretur, lecto-  
 rum prudentum operâ compositū,  
 non Aniani Cancellarij sui, vt  
 malè existimarunt Tillius, & Cu-  
 iacius, per Anianum ipsum edi-  
lib. 2. ep. 4.  
l. 7. de gu-  
bern. Dei.

curauit ; & ne maiestatem minuer-  
re videretur alienæ legis æmulâ  
potestate, iudicio adumbrato suâ  
fecit ; ut constat ex Alarici Com-  
monitorio ad Timotheum Comi-  
tem , preffixo Codici Theodosia-  
no : *Anianus vir spectabilis ex præcep-  
tione D. N. gloriosissimi Alarici Regis,  
hunc Codicem de Theod. legibus , atque  
sententijs Iuris vel diuersis libris ele-  
ctum, Aduris anno xxij. eo regnante  
edidit, atque subscripsit.*



\*\*\*\*\*

## CAPVT IV.

- <sup>1</sup> Series legis Romanae sub Regibus Francorum I. stirpis.
- <sup>2</sup> Aquitani & alij trans Ligerim cur Romani dicti.



Æso Alarico in prælio Vocladensi, Aquitania, cum parte Narbonensis prouinciæ peruenit in potestatem Clodouei: verùm Septimania ad præsens viatoris manus elapsa, in ditione Vvisigothorum remansit, & Arelatensis prouincia Theodorico Ostrogotho caducam occupanti cessit. In hoc rerum nouarum lublico lex Romana secura stetit: occurrit locuples testis Theodoricus ipse, qui cùm expeditionem compararet in Galliā Gothicam,

aduersus Francos, eam lege Ro-  
 manâ viuere lätari se scripsit,  
 Ep. 43. 1. 3. apud Cassiodor. Delectamur Iure  
 Romano viuere, quos armis cupimus  
 vendicare; nec minor nobis cura est re-  
 rum mortalium, quam potest esse bello-  
 rum: quid enim proficit Barbaros re-  
 mouisse confusos, nisi viuatur ex legi-  
 bus? quapropter cum, Deo propitio,  
 Gallias exercitus noster intrauerit, si  
 qua mancipia seruitum declinantia ad  
 alios se, quam quibus debebant com-  
 petere, contulerunt, prioribus dominis  
 iubemus sine aliqua dubietate restitui.  
 Nec vana fides Theodorici; Are-  
 latensis enim prouinciae compos-  
 factus, legem Romanam, & toga-  
 tos mores Provincialibus se resti-  
 tuisse videri voluit; et si re verâ  
 instauratorem non desiderarent.  
 Ep. 17. 1. 3. Libenter, inquit ille apud Cassio-  
 dorum parendum est Romanæ cōsuetu-  
 dini, cui estis post longa tēpora restituti;

quia gratus ibi regressus est, ubi proue-  
 etum vestros constat habuisse Maiores :  
 atque ideo in antiquam libertatem, Deo  
 praestante, reuocati, vestimini moribus  
 togatis, exuite barbariem, abiijcite men-  
 tium crudelitatem ; quia sub aequitate  
 nostri temporis non vos decet viuere mo-  
 ribus alienis. Et sanè exstat apud  
 Baronium Cæsarij Archiepiscopi Tom. 6.  
 Arelatensis testamentū breui pòst 509. An. Chr.  
 conditum, adhibitis formulis Iu-  
 ris Ciuilis, & clausula codicillari :  
 Er ideo, hęc sunt verba, iuxta hanc  
 Epistolam, quam manus nostræ subscri-  
 ptione roborauiimus, cuique diem &  
 consulem subtus adiecimus, Deo dispen-  
 sante, hoc testamentum meum condidi,  
 vel manu propriâ subscripti, atque Iure  
 Prætorio, vel Iure Ciuali, & ad vicem  
 illorum codicillo firmaui. Clodouæus  
 quoque rerum summâ potitus in  
 Aquitania, & parte Narbonensis  
 prouincię, status mutationem in-

uidiosam ratus, perpetuumve de-  
 fectionis incentium, vel memor  
 studij, & affectus Prouincialium,  
 quorum votis & passis manibus  
 Saluianus, euocatus. Quorum non sinè be-  
 s. de pro- neficio Gothi uno prælio fere con-  
 fid. Cypr. in fecti, & oblatæ prouinciæ viribus,  
 vit. Cæsar. Arelat. animisque diuturnioris belli moli  
 Gregor. Tur. lib. 2. c. 36. non impares, ipsis Ius Romanum  
 illibatum reliquit, ex quo deinceps, Aquitani, ceterique Prouin-  
 ciales trans Ligerim positi, Ro-  
 mani Francis quoque dicti, quod  
 lege Romanâ viuerent; Fredegar-  
 ius in Chronico; Interim rebellan-  
 tibus Vasconibus, in regione Aquitanie  
 cū Chunoaldo Duce, filio Eudone (lege  
 Eudonis,) quondam Carlomannus, atq;  
 Pipinus principes Germani, congregato  
 exercitu, Ligeris alueū Aurelianis vrbe  
 transeunt, Romanos proterunt, usque Bi-  
 turigas vrbum accedunt, suburbana ip-  
 suis igne comburunt. Ante Fredegar.

Fortunatus, de Basilica S. Satur- lib. 2. c. 8.  
nini Tolose,

*Launebodes enim post saecula longa du-  
catum*

*Dum gerit, instruxit culmina sancta  
loci:*

*Quod nullus veniens Romanâ gente  
fabriuit,*

*Hoc vir barbaricâ prole peregit opus.*

Idem ad Chrodonum Ducem, lib. 9. c. 6.

*Gentibus obstrictus Romanis charus  
haberis.*

*Et alio loco,*

lib. 7. c. 8.

*Romanisque lyrâ, plaudat tibi Bar-  
barus harpâ.*

Conc. Turon. II. c. 9. *Adiicimus ere-  
nim ne quis Britannus, aut Romanum in  
Armorico, sine Metropolitani, aut Com-  
prouincialium voluntate, vel litteris  
Episcopum ordinare presumat. Cōcil.  
Narbonense, c. 4. Ut omnis homo tā  
ingenuus, quam seruus, Gothus, Roma-  
nus, Syrus, Græcus, vel Iudaeus, die*

Dominico nullam operam faciant. &c.

14. in cuiuscumque domo Gothi, Romanis, &c.

Vnde & regio vniuersa trans Ligerim, Romania, vel Romana terra, siue Gallia Romana. Fortunatus lib. 6. c. 4. de Chariberto rege.

Hinc cui barbareis, illinc Romania plaudit.

Et Vita Odiliæ Virginis, Temporibus Childerici, Imperatoris Romanae & Franciae terræ. Luitprandus Ticinensis. de Guidone Comite Spoletano : Quisunque Burgundionum regna transiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet. Et

2. Chronic. Regino : Interim Ludouicus Rex Gallicæ Romanæ, filius Caroli. & Rex Gallicæ Romanus Dominus, Hugoni Comiti Claromontensi apud Sugedium : Malo, inquit, Romane Domine te terram totam meam habere, &c.

In vit. Ludouic. Craffsi.

Romanis hoc sensu, id est Aqui-

tanis, ceterisque Transligeritanis  
 rata & perpetua fuit lex Romana,  
 etiam Constitutione Clotharij R.  
 edita ab H. Bignonio, in Notis ad  
 Marculfum: *Inter Romanos negotia  
 causarum, Romanis legibus præcipimus  
 terminari.* æquè Guntrano, Chil-  
 perico, & Sigeberto regibus vsum  
 legis Romanæ apud Aquitanos,  
 commendat eiusdem studium,  
 quod florentissimum fuit in Ar-  
 uernorum ciuitate, quæ est pri-  
 me Aquitaniæ. Gregor. Turon. *De lib. 4. hist.*  
*Andarchij vero interitu locuturus;* prius <sup>c. 41-</sup>  
 genus ordiri placet, & patriam. Hic  
 igitur, ut adserunt, Felicis senatoris  
 seruus fuit, qui ad obsequium domini  
 deputatus ad studia litterarum, cum eo  
 positus bene institutus emicuit: nam  
 de operibus Virgili, legis Theodosianæ  
 libris, arteque calculi plenè eruditus est.  
 Andarchium Aruernum fuisse, &  
 apud Aruernos eruditum insinuat

tum mentio Felicis ipsius domini,  
Senatoris Aruerni, tum eius redi-  
tus in Aruernum, de quo paulò  
post loquitur Turonensis. Ijsdem

Aredij te-  
stamenti  
meminit  
Gregor.  
Tur. hist.  
Lib. 10. c.  
xx.

Regibus vsum legis Romanæ in  
Aquitania illustrat Testamentum  
MS. S. Aredij Lemouicensis. Quod  
testamentum nostrum si casu Iure Ciuiti,  
aut Prætorio, aut cuiuslibet legis Nouel-  
lae conscriptione, vel veteris valere non  
potuerit, ad vicem codicillorum, & om-  
nium scripturarum, quæ firmitate con-  
sistunt valere iubemus. Nec præter-  
ire possum, eodem seculo, Lug-  
duni in foro recitatum testamen-  
tum Nicetij Lugdunensis E. post  
diem lege Romanâ præscriptum.  
( is erat tertius, vel quintus à mor-  
te testatoris ) Gregorius Tur. de  
vita Patr. apud Surium: Post dies  
autem quos lex Romana sanciuit, ut de-  
functi cuiuspiam voluntas publicè le-  
gatur, huius Antistitis testamentum in  
foro

2. April.  
tom. 2.

foro delatum, turbis circumstantibus à  
 Iudice reseratum, recitatumque est. Sub  
 Dagoberto, Sadregisili, Ducis  
 Aquitanorum filij, Francorum iu-  
 dicio hereditate paternâ indigni  
 pronunciati iuxta legem Roma-  
 nam, ob inultam necem parentis ;  
**Aimoīn. Monachus : Anno xxiiij. lib.4. c.28.**  
 regnante Dagoberto Sadregisilus Dux  
 Aquitanorum à quibusdam hominibus  
 gladiatorio aduersus eum animo insur-  
 gētibus trucidatur, cuius filij cum ullo-  
 res potuissent fieri effusi sanguinis pa-  
 terni, maluerunt viuere desides, ac otiosi,  
 quam perurgendo armis homicidas, cru-  
 orēm exigere interfecti : idcirco in pu-  
 blico Francorum conuentu à quibusdam  
 proceribus, secundūm leges Romanas,  
 quæ sanciunt à paterna eos decidere he-  
 reditate debere, qui noluerunt interfecti  
 necem vindicare, omnibus paternis ex-  
 spoliati sunt bonis, atque inanes relicti.  
 Clodouei secundi, Dagoberti fi-

lij sequens etas, legis Romanę se-  
riem apud nostros satis prodit ex  
Marculfi formula solēni Ducatus,  
Patriciatus, vel Comitatus : id est  
formulā codicillorum principa-  
lium, quibus mandabatur recto-  
ribus prōuinciarum, pro earum  
discrimine, vt suos prouinciales,  
Francos, Romanos, Burgundio-  
nes recto tramite secundūm legē  
& consuetudinē eorum regerent.  
Denique nōnne etiam sequiori  
æuo Childerici I I. lex Romana  
trita in iudicijs, & scholis Aruer-  
nicis? Vita S. Preiecti Aruernensis  
E. Ipse cœpit renuere & rationem ve-  
ram reddere iuxta statuta canonum, vel  
lege quæ dicitur Romana ; quia magnus  
sabbati dies erat, quo vigiliæ sanctæ  
Paschæ celebrari solent, se nullo modo de  
hac causa respondere posse. & Vita S.  
Boniti, itidē Aruernens. E. apud  
Surium. Postea ubi natus puer adoleuit

in Aruernorum vrbe traditur litteris  
imbuendus, subinde etiam Iuri Ciuili  
dat operam.

C A P V T V.

*Progressus legis Romanae sub  
Regib. secundæ stirpis.*

**E**xemplo decessorum aqui-  
tanis, cæterisque prouin-  
cialibus transligeritanis  
Legem Romanam vltrò sanciuit  
Carolus M. & in usum ipsorum  
Codicem Theodosianum restitui,  
emendarique curauit, ut docent  
postrema verba, quæ adiecta sunt  
**Commonitorio Alarici**, præfixo  
**Codici Theodosiano**: *Et iterum*  
*anno xx. regnante Carolo Rege Franc.*  
*& Longobard. & Patritio Romano.*  
adeoque Legem Romanam coluit  
diuinus princeps, ut eam omnium

Capitul.  
add. 4. c.  
106.

humanarum matrem legum professus  
sit, & multa ex Codice Theodos.  
in Capitularia trāsfuderit. Ex quo  
satîs intelligere licet, quomodo  
acciendiæ sint diuersæ leges,  
quas memorat Eginart. Nā Franci  
duas habent leges plurimis in lacis val-  
de diuersas : nimirum vt Romana  
fuerit vna è duabus : altera non  
alia quàm Salica, siue Francica.  
Sub Ludouico Pio Septimanos  
legem auitam, id est Romanam  
aduersùs Bernardum Ducem, eius  
oppugnatorem asseruisse , scribit  
Anonymous in vit. Ludouici P. In  
eodem loco ē tempore penè omnes Sep-  
timaniæ nobiles affuerunt , conquerentes  
aduersùs Bernardum Ducem illarum  
partium, eò quòd illius satellites tam re-  
bus ecclesiasticis, quàm priuatis absque  
ullo respectu diuino , humanóque pro li-  
bito abuterentur : vnde petierunt vt  
Dominus Imperator sub suæ protectionis

munimine eos susciperet, & post hac tales Missos in eandem terram dirigeret, qui & potestate & prudentia de ablatis aequo libramine penderent, & auitam eis Legem conseruarent. A Ludouico, Carolus Caluus Aquitanis, & cōfortibus, exemplo predecessorū, Legis Romanæ beneficium confirmauit: Capitulare Caroli Calui.  
tit. 3. l. c.  
 In illis autem regionibus in quibus secundum Legem Romanam iudicantur iudicia, iuxta ipsam legem committentes talia iudicentur; quia super illam Legem, vel contra ipsam Legem nec antecessores nostri, quodcumque Capitulum statuerunt, nec aliquid constituimus. His adde alia eiusdem Capitula,  
tit. 1. c. 3.  
 quibus legem vnicuique prouinciae competenter, exemplo prædecessorum in primis Patris, & auctoratam esse iubet. Tum etiam Legem Romanam in Aquitania Legis nomine per antonomasiam  
tit. 7. c. 5.  
Syn. Meld.  
c. 3.

vulgò celebratam deprehendo.  
 Fragment. hist. Aquitanicæ : *Vulginus autem, (is erat Comes Engolismensis) multis prælijs laborauerat frequenter cum Normannis; hac de causa ædificauerat castrum Martiliacum, & Mastatum, ut essent muniti contra Paganos, miseratque in Martiliacum, Robertum legis doctum, & cum eo amicum suum fidelissimum, nomine Ranulfum. Inclinante Regū secundæ stirpis imperio, hoc etiā ferreo seculo superstes Lex Romana audita est in Aquitania: tunc plures quam centum seruos non manumisit testamento Gerardus Comes Aureliacensis, Aquitanus, ne legis Fusiæ Caniniæ modum transire videretur; quam legem mundialem vocat Odo Cluniacensis: Centum ex mancipijs tantum libertate tunc donauit: mouebatur autem à quibusdam suis quatenus de fa-*

milia, quæ sibimet affatim superabundabat, maiorem multitudinem iugo servitutis absoluueret; quibus ait; Iustum inquit est, ut lex mundialis in hoc obseruetur, & ideo numerum in eadem lege præstitutum, prætergredi non debeare. Id temporis etiam in Aquitania fuere primi ordinis viri legis Romanæ studiosi: Ioannes Italus in vita S. Odonis Abbatis Cluniacensis, de Abbone patre Odonis, Aquitano: *Vet erum namque historias, & Justiniani Nouellam memoriter tenebat.*



## C A P V T   V I.

*Lex Romana sub Regib. tertia  
stirpis. Ius scriptum, &  
consuetudinarium.*

**T**RANSLATO demum regno ad Hugonem Capetum, Ius Romanum nostris tutum & incolume stetit, tempori consulente nondum adultâ potestate: in hac enim conuersione regni nullam status prouinciarum mutationem tentatam notissimum est. Imò verò Duces & Comites ex præfectis dominos effectos, cum ipso principe de dignitate fere certasse: quibus rebus sicstantibus haud passuri fuerint Provinciales Legem Romanam tot seculis inuictam labefactari. Hac de causa ab Hugone Capetio or-

tum est discrimen prouinciarum  
 quod hodiéque viget, ut aliæ vul-  
 gò appellarentur Iuris scripti, aliæ  
 consuetudinarij. Quod hæ rege-  
 rentur iure moribus recepto ; illæ  
*Iure Ciuali Romanorum*: cuius rei  
 vestigium signat Honorius III.  
 R. P. in cap. super specula. extr. de  
 priuileg. cùm verat ne Parisijs,  
 vel alijs vicinioribus locis Ius Ci-  
 uile quisquam docere, vel audire  
 moliatur ; *Quia in Francia*, inquit,  
 & nonnullis prouincijs laici Romanorū  
*Imperatorum legibus non vtuntur*. Nō  
 abs re animaduertit Pontifex Frā-  
 ciam ( quæ hoc loco ea prouincia  
 est , quæ est inter Ligerim , & Se-  
 quanam, à Carolo Martello Fran-  
 cia dicta , teste Lupoldo Bamben-  
 bergensi ) & nonnullas prouincias l. de zel.  
vet. Princ.  
German.  
 Ius Romanum nescire ; quia non  
 latebat eum alias esse prouincias  
 Galliarum, quæ eo Iure vterentur;

nempe Aquitaniam & finitimas  
prouincias dudū insignes patriæ  
Iuris scripti nomine, ab eodem  
Capetio, quo Ius Romanum tam  
ciuile, quā Pontificiū cœpit apel-  
lari Ius scriptum, ut secerneretur à  
Iure consuetudinario, quod sinè  
scripto moribus constitutū, non  
ante tempora Caroli VI. in scrip-  
tum redactum est. Rigordus: Mira  
et laudanda iustitia principis, licet de  
Iure scripto posset, propter publicum re-  
gni commodum in alieno fundo muros  
erigere, et fossata; ipse tamen Iuri  
preferens æquitatem, damna sua que  
per hoc homines incurrebant de fisco  
proprio compensabat. Celest. III. P.

de Gest.  
Philip.  
A. 1212.

In cap. vlt. Hac igitur ratione inducti quatenus si  
de foro  
comp. in  
2. Coll. quas causas seculares clerici Parisius  
commorantes habuerint contra aliquos,  
vel aliqui contra eos ap. remota Iure  
Canonico decidatis, nec permittatis Iuri  
scripto consuetudinē præualere. Matth.

Parif. ex libello Maiorum Fran-<sup>ad ann.</sup>  
 ciæ, *Quod regnum nō per ius scriptum,*  
*nec per Clericorum arrogantiam, sed per*  
*sudores bellicos fuerit adquisitum.* Ioin-  
 villa scriptor Gallicus vite D. Lu-  
 douici: Bonum virum, ait, pij exe-  
 cutoris testamentarij officio fungi  
 debere, primùm luere noxas, tum  
 si quid superfuerit erogare in pau-  
 peres, *Ainsi que le Droit écrit l'ësaigne;*  
 ipsa sunt verba Autoris. Institutū  
 verò legis Romanæ processum in  
 Aquitania & finitimijs prouincijs  
 magis, magisque produnt Tabulæ  
 sponsalitiæ Raimundi Comitis  
 Tolosani, cum Electa, quas dedit  
 G. Catellus, in annū Christi 1095.  
 quibus Comes, qui multas ditio-  
 nes tenebat in Aquitania, ( vnde  
 & Comes Tolosanus nō uno loco  
 dicitur Dux Aquitanorum ) Co-  
 mitatum Rutenensem prima in  
 Aquitania situm, Viuariensem in

Chr. 247:

Occitania, Diniensem & Auenionensem in Prouincia, vice donationis propter nuptias vxori offert, iuxta Legem Romanam: *Et ob amorem tui, atque decorem filiorum nobis procreandorum, dono tibi in tuo sponsalitio, & donatione, Ciuitatem Rutenis cum Comitatu, & Episcopio, sicut lex mea est, & insuper dono in dotalitio Viuarium Ciuitatem cum Comitatu & Episcopio, & ciuitate Dinnam cum Ciuitate & Episcopio, & Ciuitatem Auenionem cum Ciuitate & Episcopio, sicut lex mea Romana est.* Eiusdē argumenti sunt tabulæ Alphonsi Comitis Tolosani & Pictauiensis, anni 1270. quæ exstant in eius chartulari Aginnensi MS. Iudices nostros, & Senescalli nostri Aginnensis admonemus, qui in causarum examinationibus & decisionibus, uti solebant Iure scripto, volentes, &c.  
 ep. 50.

## CAPVT VII.

*An Septimania à Cindasuindo  
legem Gothicam admiserit,  
exsulante Lege Romana.*

ALarici nece, Clodo-  
ueus vniuersâ Aquita-  
niâ, & Tolosâ Gotho-  
rum Regiâ potitus est:  
at Narbonensis prouinciæ pars,  
quæ Septimania dicitur, cum His-  
panijs in ditione Gothorum re-  
mansit, Francique obsessâ Carcas-  
sonâ, occurrente Theodorico Os-  
trogotho obsidionem soluerunt,  
Auctore Procopio. Guntranus I. de bell.  
Gothi.  
Gregor.  
postea Septimaniam tentauit, sed  
infelici euentu. Rursus Vamba  
rege Vvisigothorum, plerisque  
Episcopis Septimaniæ, tædio Go-  
thici dominatus, coniunctis cum

Paulo Comite affectatae tyranni-

Lucas Tu-  
dens lib. 3.  
Roder. To-  
let. lib. 3.  
c. 3. & seqq. dis reo, Franci Septimaniam ob-  
tentu suppetiarum imperio suo  
adijcere moliti sunt : sed capto

Paulo , & supplicio affecto , Epis-  
copisque in ordinem redactis , cō-  
silium successu caruit . Tādem post  
cladem Hispaniarum , & vniuersæ  
ditionis Gothicæ , irruptione Sar-  
Annal.  
Fuld. a.  
732. Sigi-  
bert. a. 737. racenorum , Carolus Martellus  
Narbonam , Nemausum , Biterras ,  
Agathen , & alia Septimaniæ oppi-  
da Sarracenis eripuit , soloque æ-  
quauit , cùm tueri vix posset . Me-  
dio tempore , rebus Gothicis stan-  
tibus in Septimania , Cindasuin-  
dus Rex Vvisigothor . edicto legē  
Romanam vniuersis regni sui fini-  
bus exegit , eo colore quæsito ,  
quòd interpretationē desideraret ;  
Legis Vvi-  
figoth. lib.  
2. c. 8. Alienæ gentis legibus , inquit , ad exer-  
citum vtilitatis imbui & permittimus  
& optamus , ad negotiorum verò discuss-

sionem & resultamus & prohibemus :  
 quamuis enim eloquijs polleant, tamen  
 difficultatibus hærent, adeò cùm sufficiat  
 ad iustitie plenitudinem & prescrutatio-  
 rationum, & competentium ordo ver-  
 borum, quæ Codicis huius series agnoscit  
 tur continere, nolumus siue Romanis  
 legibus, siue alienis institutionibus  
 amodò amplius conuexari. Post hu-  
 iusmodi edictum satis credibile  
 est legem Romanam obsoleuisse,  
 & Gothicæ locum fuisse in Septi-  
 mania ; adeò enim omnia manu à  
 Gothis gerebantur, vt status Ec-  
 clesiasticus prouinciæ conuellere-  
 tur, & Narbonensis Episcopus,  
 alijq; Cōprouinciales, quotquot  
 Gothis parebant, cōgerentur cō-  
 uenire ad Concilia Toletana ; vt  
 appareat ex subscriptionibus To-  
 letani 3. 4. 6. & ex canone 4. To-  
 let. 7. can. 6. Tolet. 12. & ex Ro-  
 derico Toletano : quam ob rem

can. inter  
cætera. 10.  
qu. 3.  
c. cùm  
longè. 63.  
dist.  
lib. 3. c. 13.

lib. 2. ep.  
120.

violentum regum Imperium dam-  
 nat Innocent. III. Cùm constet Nar-  
 bonen. per multa tempora venisse ad  
 Concilia Toletana; nec tamen Toletana  
 Metropolis aliquid iuris habuit in Ec-  
 clesia Narbonen. sed mandato Regum  
 illa fiebant, quod magis violentum,  
 quàm iustum præsumitur extitisse.  
 Subacto igitur summo Pontificū  
 ordine, & barbaricum iugum etiā  
 in rebus sacris experiente, vix sua-  
 deri possit mitiùs cum plebe actū,  
 & Romanæ legis iam edicto ex-  
 plosę arbitrium ei relictum. Bello  
 partâ Septimaniâ à Francis aduersus  
 Gothos & Sarracenos, an lex  
 Romana in Septimania postlimi-  
 nio restituta sit, & an lex auita,  
 quam Septimani asserebant tem-  
 poribus Ludouici Pij aduersus  
 Bernardum Ducem, sit lex Gothi-  
 ca, an Romana dubitari possit:  
 scrupulum mouent leges dictæ à  
 Pipino


Pipino ditioni Ciuitatis Narbonæ à Sarracenis receptæ, Gothorum operâ, nempevt eis sua lex seruaretur. Vetus Chronicum MS. anno Chr. 759. Franci Narbonam obsident, datoque sacramento Gothis, ut si ciuitatem traderent partibus Pipini, permitterent eos legem suam habere, quo facto Gothi Sarracenos occiderunt, & Ciuitatem partibus Francorum reddiderunt. Tum etiam magis impellor ex Epist. Ioannis VIII. R. P. ad Episcopos & Comites Gothie, part. 3. c. quæ extat in Iuonis decreto, vbi<sup>98.</sup> legitur librum Gothicæ legis à Sinneboldo Episcopo Narbonensi editum in Concilio Trecensi coram Summo Pontifice; & quia nihil in eo cautum erat de sacrilegijs, de his adiectum esse apicem ex legibus Romanis desumptum. Cur enim lex Gothicæ supplenda proferretur in Concilium apud

Pontificem ab Episcopo Narbo-  
nensi , si in his partibus non vige-  
ret ? Sed hunc scrupulum facile est  
amouere, si distinguas Gothos à  
Romanis , id est Prouincialibus.  
Haud enim diffiteor legem Go-  
thicam, quæ primùm scripta fue-  
rat ab Eorico, Septimaniâ Gothis  
auulsâ à Francis, Gothorum reli-  
quijs non ereptam. Sed Romanis,  
id est, Prouincialibus legem Ro-  
manam edicto Cindasuindi fortè  
sopitam à Francis postliminio  
redditam, argumento sunt Caroli  
M. Ludouici Pij , & Caroli Calui  
perpetuę leges, quæ legem Roma-  
nam quibusque prouincijs com-  
petentem tuentur : argumento sit  
etiam in melius mutatus status  
Narbonensis Metropolis, quæ iam  
ipso Sineboldo , siue, Sigebodo  
Narbonensi Antistite, Bituricen-  
sem Aquitanię Primate agnos-

cebat, vt docet Nicolaus I. & cer-  
 tè magis est, vt legem auitam, quā  
 Septimani asseruerūt tempore Lu-  
 douici Pij interpreteris de Lege  
 Romana, quām de Gothicā. Cūm  
 notissimum sit Romanām, nōdum  
 auditō Gothorum nomine, prio-  
 rem fuisse legem Prouincialium:  
 imò & tunc legi Gothicæ in Gal-  
 lia locum non fuisse, nisi inter Go-  
 thos qui supererant immixti Pro-  
 uincialibus, deprehēditur ex ipsa  
 vita Ludouici Pij: In palatio quoque  
 Bera Comes Barcinonensis quum impe-  
 teretur à quodam vocato Samila, & in-  
 fidelitatis argueretur, cum eodem secun-  
 dum legem propriam, vtpote quia vter-  
 que Gothus erat, equestri prælio congres-  
 sus est, & victus est. Concludamus  
 igitur, in horum gratiam tantùm  
 legem Gothicam in Concilium  
 Trecense adductam, nec hanc la-  
 bem inuramus Prouincialibus, vt

c. conque-  
stus 9. qu. 3

iam liberi, Gothicis legibus vltrò  
audientes fuerint, quas olim serui  
fastidierant.



## C A P V T    VIII.

*Lex Romana Francis nota quo-  
ad personas, & res Eccle-  
siasticas.*

**F**RANCIS Galliarum vin-  
dices potius quam ho-  
stes, Christiane religio-  
nis vinculo in vnā cum

Gallis gentem coēuntes, etsi le-  
gem Salicam sibi haberent, Ro-  
manam statim amplexi quoad  
personas & res Ecclesiasticas, pro-  
batur ex Conc. Aurelianensi I. Id

c. 3. can. id constitutimus obseruandum quod Ecclesiastici Canones decreuerunt, & lex Ro-  
mana constituit, vt ab Ecclesiæ atrijs,

17. qu. 4. cōstituim'

vel domo Episcopi reos abstrahere om-  
 nino non liceat. Eiusdem argumenti  
 est Concil. Turonens. II. Statua-<sup>c. 21.</sup>  
 mus obseruandum, ut nullus sacratam  
 Deo virginem, quæ in honorem Christi  
 vestem mutauit, aut rapere, aut compe-  
 tere, aut sibi coniugem sociare præsumat;  
 quia etiam Lex Romana constituit, ut  
 quicumque sacratam Deo virginem, vel  
 viduam fortasse rapuerit, si postea eis de  
 coniunctione conuenerit, capitissenten-  
 tia feriantur. Accedit Capitulare  
 Caroli M. quo post varias editas <sup>add. 4.c. 29.</sup>  
 leges de rebus Ecclesiasticis, sub-  
 ijcit ut iuxta Romanam Legem  
 hæc corrigantur. Legatur testa-  
 mentum Remigij Episcopi Rhe-  
 mensis apud Flodoardum, nōnne <sup>Hist. Rem.</sup>  
 legis Romanæ formulis, & ipsa-<sup>lib. I. c. 18.</sup>  
 met clausula, codicillari insigni-  
 tum, vtcumque esset sub lege Frâ-  
 cica? Ego Remigius Episcopus Ciui-  
 tatis Remorum, sacerdotij compos testa-

mentum meum condidi iure prætorio,  
atque id codicillorum vice valere præ-  
cepi, si ei iuris aliquid videbitur defuisse.  
Quid si audiamus legis Salicę Iu-  
dices? fatentur ipsi non liquere  
sibi de rebus Ecclesiasticis, ut po-  
te quę Romanā lege regerentur.

De mira- Adreualdus Floriacens. Sed cùm  
culis S. Benedict. litem in eo placito finire nequirent, eò  
lib. 1. cap. quòd Salicæ legis Iudices, Ecclesiasticas  
res sub Romana constitutas lege discer-  
nere perfectè non possent, visum est Mis-  
sis Dominicis placitum Aurelianis mu-  
tare. Vnde iudicio Caroli de con-  
iuratis in Leonem III. P. quæstio  
decies habita iuxta legem Roma-  
nam, ut reis maiestatis: Author-  
vité Caroli M. & Aymoin. Mona-  
chus ijsdem fere verbis: Post pau-  
cos dies iussit eos qui Papam anno supe-  
riori de honestauerant exhiberi, & ha-  
bita decies quæstione secundūm legem  
Romanam, ut maiestatis rei capite dam-

nati sunt. Imò Franci adeò in Legē Romanam propensi fuere , vt eam non deditiati sint in formulis cōtractuum, & ritu nuptiarum , si fi-  
des est Agathie: εισὶ γὰρ οἱ φράγγοι εἰ νο- Hist. Iust.  
μάδες ὡσπέρ ἀκίνητοι ἔτιοι τῷ βαρβάρον, lib. i.  
ἄλλα δὲ πολιτείας ὡς τὰ πολλά χρῶνται ρω-  
μαικῆς, Εὐόμαις Τοῖς αὐτοῖς ταῖς ἄλλα ὄμοιας  
ἀκφί τε τὰ συμβόλωμα καὶ γάμους : sunt  
enim Franci non agrestes , vt fere ple-  
riique barbarorum, sed & politia vt plu-  
rimum utuntur Romanā & legibus iis-  
dem, eadem etiam contractuum & nup-  
tiarum ratione.

C A P V T   I X .

*Legis Theodosiana & Iusti-  
niane astatates.*




Vnc operę pretium est, vt  
utriusque legis Theodo-  
sianę & Iustinianę vices

& successionem expendam. Primum Codex Theodosianus, cuius  
 lib. 5. Orig. auctor Theodosius Iunior, aucto-  
 c. 11. re Isidoro in Oriente quidem edi-  
 tus, iam ab anno Christi 431. in  
 Gallia minimè ante consulatum  
**Asterij**, qui incidit in annum 449.  
 quo lex de præscriptione tricenij,  
 quæ est constitutio Theodosij iu-  
 nioris, transfusa in Nouellam Va-  
 lentiniani intrà Gallias antè nes-  
 cita, fuit proquiritata, vt Sidonij  
 verbis vtar. Exinde lex Theo-  
 dosiana celebratissima in Gallijs,  
 & Codex ipse Theodosianus, pri-  
 mū Alarici autoritate breui-  
 tus, tum Caroli M. studio purga-  
 tus & emendatus, vt supra proba-  
 tum est ; verùm à Carolo Caluo  
 obsoleuit lex Theodosiana, & Iu-  
 stiniane successit, vt innuunt hu-  
 ius qui Autores, qui priores le-  
 gem Iustinianam passim memo-

tant, de Theodosiana silent. Hinc-  
 marus Rhemensis epist. 7. Et sacri ep. 7.  
*Africæ prouincia canones, & lex Iusti-  
 niana decernunt, vt clerici de iudicij  
 sui cognitione non cogantur in publico  
 dicere testimoniu. & idem in Opusc.  
 aduers. Hincmar. Laudunens.  
 Vnde etiam leges quibus debitæ obser- c. 51.  
 uationis reuerentiam sancta Ecclesia  
 exhibet in C X V I I. constitutione ca-  
 pitulo C C C L I I. Constitutionis Iusti-  
 niani dicunt, vt locorum venerabi-  
 lium administratores sine pecunia  
 fiant. Ioannes V I I I. P. Epistola  
 ad Ludouicum Regem. Nónne Ioā-  
 nes Papa Romanus, & Iustinianus in-  
 clytus Imperator Legem Romanam fa-  
 cientes scripserunt, ita capitali crimine  
 damnatorum bona non ad lucrum Præsi-  
 dis, sed cognatis punitorum reddi opor-  
 tet? Idem Pontifex ep. CLXII. Sci-  
 tote quemadmodum in C. Capitulo  
 Africani Concilij legitur, similiter in*

ep. 129.

secundo Nouellarum Iustiniani libro, ut  
nemo Episcopus, aut Presbyter aliquem  
excommunicet, antequam causa probe-  
tur. & ep. ad Ludouic. Reg. quæ  
refertur apud Gratianum adducit  
c. nemo.  
16. qu. 3. legem de præscriptione centum  
annorum pro rebus Romanæ Ec-  
clesiæ, quæ est Nou. Iust. IX. re-  
texatur & locus supra laudatus Io-  
annis Itali; Et Iustiniani Nouellam  
memoriter tenebat.



## C A P V T X.

<sup>1</sup> Lege Rom. abstinuere Ostrogo-  
thi, & Longobardi in Italia.

<sup>2</sup> Ius Ciuale restitutum ab Irne-  
rio.

<sup>3</sup> Ius Ciuale floret in Acade-  
mia Parisiensi ante Honorium.

Solis Colossus Rhodi terræ  
motu prostratus, iacens quoq;

miraculo fuit. Imperij ruinâ op-  
 pressa lex Romana, etiam Barba-  
 ros Italiæ subseffores suâ maie-  
 state continuit: ei pepercit Theo-  
 doricus Romani expugnator Im-  
 perij, & Romanos siue actores siue  
 reos suâ lege disceptare cum Go-  
 this tulit apud Cassiodor. *Intra*<sup>ep. 13. l. 3.</sup>  
*itaque prouinciam Sannij, si quod nego-*  
*tium Romano cum Gothis est, aut Go-*  
*tho emerserit aliquod cum Romanis, le-*  
*gum consideratione definies, nec permit-*  
*timus discreto ( sic enim lege non*  
*indiscreto) iure viuere, quos uno voto*  
*volumus vendicare. Idémque Atha-*<sup>1. 9. ep. 14.</sup>  
*laricus apud Cassiodor. epist. ad*  
**Gildiam Comitem:** *Duorum nego-*  
*tia Romanorum etiam his inuitis ad tuū*  
*diceris vocare iudicium. Vos armis*  
*iura defendite, Romanos finite pace le-*  
*gum litigare. Haud secus Longo-*  
*bardi suspensâ feritate in legis*  
*Romanæ venerationem Romanis*


suâ lege viuere permiserunt, legis Longobard. tit. 97. De Longobarda quæ Romanum virum tulterit. §. 3. Filij qui de tali matrimonio nascuntur, secundum legem patris Romanifiant, & lege patris sui viuant. Exactis Italiâ Longobardis & translato ad Francos languescente Imperio, rursumque tyrannis laborante Italiâ Ius Romanum barbarie obsitum, & penè inauditum infeliciter iacuit; donec imperâte Lothario Saxone, hortatu Mathildæ Comitissæ Irnerij operâ restitutum.

In Lotha- tutum. Abbas Vrspergensis: Eisdem  
rio Saxo- quoque temporibus Dominus Verne-  
ne. rius libros legum, qui dudum neglecti  
fuerant, nec quisquam in eis studuerat,  
ad petitionem Mathildæ Comitissæ re-  
nouauit, & secundum quod olim à diu  
recordationis Imperatore Justiniano  
compilati fuerant, paucis fortè verbis  
alicubi interpositis, eos distinxit: in qui-

bus continentur instituta præfati Imperatoris quasi principiū & introductio Iuris Ciuilis: edicta quoque Prætorum & Ædilium Curulium quæ rationē & firmitatem præstant Iuri Ciuali; hæc in Libro Pædectarum, videlicet in Digestis continentur. Additur quoque his liber Codicis in quo Imperatorum statuta describuntur. Quartus quoque liber est Autenticorum, quem præfatus Iustinianus ad suppletionem & correctionem legum Imperialiū superaddidit. Vnde paulò post sub Friderico I. turba Iuriscōsultorum prodijt in Italia, Radeuic.  
 quorum principes Academiam lib. 2. de  
 Bononiensem instituerunt, Bul- gest. Fri-  
 garus, Martinus, Iacobus, Hugo,  
 ijdémq; Assessorum officiofuncti deric. c. 5.  
 apud Fridericum. Eadémque æ- Petrus Ble  
 tate, Lanfrancus Papiensis primùm sens. epist.  
 Cadomensis Abbas, tum Cantuar. 26. & 173.  
 Archiepiscopus. Sæcularium legum peritiam ad patriæ suæ morem feruide

lib. 4. hist. ad ann. 1069. edidicisse fertur, Orderico Vitali: &  
 in Gallia Petrus Abelardus Iuris Ciuilis peritissimus commenda-  
 tur, de quo Accurs. Quænā, inquit,  
 que pedū. C. fin. reg. esset ea præscriptio Petrus Baylardus,  
 qui sanum cuiusque legis intellectum  
 sua etate pollicebatur, hic dixit nescio.  
 Imò & antè Honorium Iuris Ciuilis studium in Academia Pari-  
 siensi effloruisse cōstat, Rigordus:  
 In Philipo Aug. Cūm itaque in eadem nobilissima ciuitate non modò de triuio, & quadriuio, ve-  
 rūm & de quæstionibus Iuris Canonici & Ciuilis, & de ea facultate quæ de sa-  
 nandis corporibus, & sanitatibus con-  
 seruandis scripta est, plena & perfecta  
 inueniretur doctrina, feruentiori tamen  
 desiderio sacram paginam & quæstiones  
 Theologicas docebantur. Et Conradus  
 de Casibus Monast. S. Galli de  
 Vodalrico Abbatē: Informatumque  
 Parisios, ac Bononiam transmisit, Iuris  
 que peritum cum summa diligentia re-

patriatum omnibus bonis conformatum  
ad summa prouexit. & paulò post. In  
Iure forensi & Ecclesiastico quicquid  
excogitare poterat faceto Mineruæ po-  
culo cunctis audientibus propinabat.



## C A P V T X I.

*Lex Romana Hispanis laudata.  
Anglis excepta. Iudeis exosa.*

**H**ispanicis sacri ordinis Patribus, etsi lege Gothicâ districtis, lex Romana frequenter laudata. Iuris Romani origines prosecutus est lib. 5. Orig. Isidorus E. Hispalensis: & passim Concilia Hispanica nitent argumentis à Iure Ciuali petitis. Conc. Hispal. II. cui præfuit idem Isidorus: Sicut enim per Legem mundiam cap. 1. can. prima 16. ijs quos barbarica feritas captiuam qu. 3. l. si necessitate transuexit, postliminio reuer- captiu. & quo. C. de reuersi.

tentibus redditur antiqua possessio ; non  
aliter & Ecclesia receptura est parro-  
chiam, quam antè tenuit cum rebus suis,  
sive ab alijs Ecclesijs possideatur, sive in  
cuiuslibet possessionem transfusa sit : non  
enim erit obijcienda præscriptio temporis  
vbi necessitas interest. & can. seq. Scri-

I. cùm sa-  
tis. C. de  
agricol. &  
censit. bitur enim in lege mundiali de Colonis  
agrorum, vt vbi esse quisque iam cœpit,  
ibi perduret : non aliter & de Clericis  
qui in agro Ecclesiæ operantur canonum  
decreto præcipitur, nisi vt ibi permaneāt  
vbi esse cœperunt. Conc. Tolet. IX.

c. 13. I. lego Igitur sicut legum reuerenda sanctio  
Papia. ff. de rit. nupt. censuit, ita seruare totius generis nobil-  
itas debet, vt in nullo aliena commixtio  
maculet, quod generositas propria deco-  
rauit : unde cunctis Ecclesiarum liber-  
tis, tam viris, quam fœminis, eorumq;  
propagini interdicitur iudicio generali,  
ne deinceps causa connubij aut Romanis  
ingenuis copulentur, aut Gothis. Cum  
religione Christiana simul lex Ro-

mana

mana penetrauit ad Anglos. Edilbertus inter reges Anglorum primus Christianus, consilio prudentum excerptas leges Romanas, Anglicas fecit, ex quibus suis Ius dictum. Beda: *Qui inter cætera bona* Hist. Engl.  
*inquit, quæ genti suæ consulendo confe-*  
*rebat, etiam decreta illi iudiciorum iux-*  
*ta exempla Romanorum cum consilio*  
*sapientium constituit: quæ conscripta*  
*Anglorum sermone hactenus habentur,*  
*& obseruantur ab ea.* Restituto omni ex parte Iure Ciuili ab Irnerio;  
**V**vacarius quidam Iurisperitus  
 patriâ Longobardus, transiit in  
 Angliam, & ibi multos habuit  
 Iuris Ciaialis auditores: *Chronicon Normanor.* Magister *V*aca-  
 ri<sup>lus</sup>, gente Longobardus, vir honestiss<sup>1148.</sup>  
 & Iuris peritus, cum leges Romanas  
 anno ab incarnatione Domini 1149. in  
 Anglia discipulos doceret, & multi tam  
 diuices, quam pauperes ad eum causâ

discendi confluenter, suggestione pauperum de Codice & Digesta exceptos novem libros composuit, qui sufficiunt ad omnes legum lites, quæ in scholis frequentari solent decidendas, si quis eos perfectè nouerit. Stante Imperio (ut hoc corollarij loco sit) Iudæi utrumque cæli, solique sui extores, & sparsi per orbem Romanum, legem Romanam detrectare non dubitarunt. Ambros. ep. ad Theodosium, dc Iudæis: *Et cum ipsi Romanis legibus teneri se negent, ita ut crimina leges putent, nunc velut Romanis legibus se vindicando putent.* Verum Iudæorum protervia fracta, adactis illis in Legem Romanam: Arcadius & Honorius Impp,

In I. Iudæi. Iudæi Romano & communi iure viuentes de his causis, quæ non tam ad superstitionem eorum, quam ad forum & leges, ac iura pertinent adeant solenni iure iudicia, omnésque, Romanis legi-

ep. 29.  
 C. Th de Iurisd. l.  
 Iudæi, C.  
 Iust. de Iudæis, &  
 coelicol.

bus inferant, & excipiāt actiones, po-  
stremò sub legibus nostris sint. Vnde &  
habentur serui Cameræ Imperia-  
lis, Fridericus II. Imp. apud Pe- I. c. ep. 13.  
trum de Vinēis. Quot omnes & sin-  
guli Iudæi degentes ubique per terras  
nostræ iurisdictioni subiectas, Christiana-  
næ legis, & imperij prærogatiuâ serui  
sunt nostræ Cameræ speciales.

F I N I S.



• **U**nus modus Canticorum Decimus.  
• **C**anticum decimum. **I**mperium peragnum  
• **S**ecundum Imperium peragnum. **V**erba 8  
• **E**xponitur secundum Imperium peragnum. **A**uctor  
• **C**anticum decimum. **I**mperium Canticorum Imperiorum  
• **L**eibnitzius II. **I**mper. **P**-I. c. q. p. 13.  
• **V**erba Vincis. **Q**uit omnia est. **W**.

## ЗИНЕ

